P. Alfredo

MONOGRAPHIAE IVRIDICAE EX EPHEMERIDE IVS PONTIFICIVM EXCERPTAE EIVSVE CVRA EDITAE

SERIES I. FASCIC. X.

DE BASILICARUM MINORUM

HYSTORIA ATQUE JURIBUS

AUCTORE

F. D'AMBROSIO O. M. CONV.

IN ATHENAEO S. CONGR. DE P. F.
ANTECESSORE

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
2400 RIDGE ROAD
BERKELEY, CA 94709

ROMAE
IVS PONTIFICIVM
PIAZZA SS. APOSTOLI, 51
MCMXXVI

5.3219
496

SUBNOTATIONVM EPHEMERIDI JVS PONTIFICIVM

CONDITIONES

1). Fasciculus quilibet tertio quoque mense edetur. — 2). Annuae subnotationis pretium L. 35 (extra Italiam 55 *lires*). — 3). Qui velint fasciculos tutius (*recommandés*) sibi transmitti, praeter subnotationis pretium L. 5 (extra Italiam 5 *lires*) pro quolibet anno solvent. — 4). Subnotationes ac solutiones *directe* fieri debent apud : *Amministrazione di* JUS PONTIFICIUM - *Roma, Piazza SS. Apostoli*, 51, exclusa quacumque librariorum interpositione. — 5). Ephemeridis Administratio iis tantummodo respondebit, qui per *chartulam cum soluto responsionis pretio* scripserint. In scribendo, numerus fasciolae albae appositus semper adnotetur. — 6). Demum, qui velit fasciculorum, praeteritis annis (a d. 1 ian. 1921) a nobis editorum seriem universam acquirere, sciat nos pretio L. 50 (extra Italiam 55 *lires*) pro quolibet anno, item in antecessum solvendo, transmissuros. — 7). Transmissioni fasciculorum peculiari cura invigilamus : quare subscriptores, qui commendationis (*recommandation*) pretium non solverint, fasciculorum iacturam sibi imputare debent. Neque proinde separata exemplaria postea transmittemus. — 8). Prima subnotatio decurrere incipit a die, qui fasciculo ultimo edito immediate succedit: quare plus-pretium ab iis, qui post diem XXXI martii ephemeridi subscripserint, solutum, pro rata parte subsequentis anni computabitur. — 9). Subnotatio *expresse* non retractata, iterata esse censetur.

AD CODICEM J. C. COMMENTARIA

Auctore Can. Doct. A. TOSO

Jis nostrorum subscriptorum, qui nostra ad Codicem commentaria separatis voluminibus (I, II et III) edita apud se habere, vel etiam ad usum Collegiorum ecclesiasticorum, Seminariorum Studiorumve Universitatum, in quibus docent, plura exemplaria emere voluerint, valde deminuto pretio volumina dabimus. En igitur *trium simul voluminum* pretium :

pro	1	exempl.	*lire*	60	(extra	Italiam	70	*lires.*)
»	5	»	»	250	(»	»	275	»)
»	10	»	»	500	(»	»	550	»)
»	15	»	»	700	(»	»	775	»)
»	20	»	»	800	(»	»	900	»)

Imprimatur : † JOSEPH PALICA, Archiep. Philippen., Vicesgerens

A. TOSO, *direct. et sponsor*

(7063) Romae - Ex Officinis Polygraphicis - MCMXXVI

MONOGRAPHIAE IVRIDICAE EX EPHEMERIDE IVS PONTIFICIVM EXCERPTAE EIVSVE CVRA EDITAE

SERIES I. FASCIC. X.

DE BASILICARUM MINORUM

HYSTORIA ATQUE JURIBUS

AUCTORE

F. D'AMBROSIO O. M. Conv.

IN ATHENAEO S. CONGR. DE P. F.

ANTECESSORE

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ROMAE
IVS PONTIFICIVM
PIAZZA SS. APOSTOLI, 51
MCMXXVI

Digitized by the Internet Archive
in 2026

#3553

https://archive.org/details/debasilicarummin0000unse

1. De basilicarum christianarum origine atque evolutione.

1. *Basilicae apud Hebraeos et Gentiles.* — Basilicae nomen, quod etymologice regiam audit domum, Hebraeis atque Gentilibus fuit maxime notum, at non una significatione usurpatum. Apud Hebraeos enim Basilica denominabatur probabilius, iuxta aliquorum scriptorum opinionem, Salomonici templi locus, quo sacerdotes et seniores vel iudices ad iudicia instituenda et sententias ferendas conveniebant. Illius sane nominis recensio habetur in libro II Paralipomenon c. IV, v. 9, ubi legitur : « Fecit etiam (Salomon) atrium sacerdotum et Basilicam grandem et ostia in Basilica, quae texit aere ».

Apud Gentiles vero Basilicae appellabantur sive domus Regis aut Imperatoris vel familiae utriusque, sive aulae seu publica aedificia, structurae et ornamentorum severitate praestantia, ubi iudicialia agebantur negotia. Porro de priori significatione, hystoricum exhibet documentum caput V libri Esther, ubi legitur: « Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis et stetit in atrio domus regiae, quod erat interius contra Basilicam Regis » ; et Isidorus qui in c. V. Originum scribit : « Basilicae prius vocabantur Regum habitacula: unde et nomen habent». De altera vero refert Seneca, qui in lib. 3 de ira ait : « Fremitu iudiciorum Basilicae resonant » ; nec non Plinius, qui in l. 6 epist. 33 tradit : « Sedebant iudices centum et octoginta ingens utrinque advocatorum turba et numerosa subsellia, adstantium corona latissima iudicium multiplici circulo ambibat. Ad hoc stipatum tribunal atque etiam ex superiore Basilicae parte, qua foeminae qua viri, et audiendi, quod erat difficile, et visendi studio imminebat ».

2. *Basilicae apud Christianos.* — Exinde facilis est intelligentia historicae originis Basilicarum christianarum. Saeculo enim IV, seu post

Constantini edictum libertatis, quum primo de Ecclesiis publice aedificandis, amplitudine et ornatu praeclaris, Romani Pontifices cogitaverint, eis praesto fuit liberalitas, munificentia atque pietas Imperatorum, familiarumque optimatum. Omnium primus Constantinus, praeter ea quae in materiale Christianorum clerique bonum constituit, superstitionibus damnatis, prohibitisque idololatricis ritibus, ut cultui novae supernaturalis Religionis illico provideret, pro extruenda Ecclesia, quae Pontificis Summi decore, magnificentia, artis splendore atque structurae excellentia digna foret, vires iuxta exigentias contulit et locum cessit in Lateranis aedibus regiis, ex dote suae uxoris Faustae, Maxentii sororis, sibi devictis. Ecclesia deinde quae feliciter est ibi aedificata atque humanae gentis divino Reparatori dicata, Basilicae nomen retinuit, quo antea Lateranorum palatium eversum donabatur. Ut vero, successivis temporibus ab aliis Basilicis, ad eumdem scopum extructis, tum ratione antiquitatis tum ratione primatialium honorum et praerogativarum (1) distingueretur, Archibasilica est appellata. In proposito, ut de caeteris scriptoribus sileamus, scribit cl. Lemaire (2) «L'archibasilique du Sauveur (Saint-Jean de Latran) est la plus ancienne et la plus vénérable de toutes. Jusqu'au commencement de l'Em pire, l'emplacement de cette église était occupé par le palais de la famille des Laterani. Confisqué par Nero et, depuis lors, proprieté du fisc impérial, Constantin le reçut dans la dot de sa femme Fausta, soeur de Maxence. Après sa conversion, l'empereur en fit don au pape Miltiade, qui s'y installa probablement dès 311. Sous le Pontificat de Saint Sylvestre (314-335), Constantin érigea, dans l'enceinte du palais, une vaste basilique qui devint la cathedrale des évêques de Rome ».

Res deinde sive sub Constantini sive sub eius successorum imperio adeo progressa est, ut Christiani potestatem obtinuerint et quaedam loca pro iudiciis instituendis destinata (3) et ipsa Gentilium templa (4) occupandi pro usu sacro et liturgico, Basilicarum et templorum nominibus respective retentis. Quapropter apud Christianos sensim sine sensu mos invaluit loca religioso cultui destinata Basilicas vel templa denominandi, ea tamen distinctione, ut Basilicae appellarentur loca sacra ubi cultus

(1) Cfr. Rasponi « De Basilica et Patriarchio Lateranensi ».

(2) Cfr. Lemaire « L'origine de la Basilique Latine.

(3) Cfr. Jul. Laurent. Selvagio « Antiquitatum christianarum institutiones»; et Richard et Giraud « Bibliotec. Sacr. ».

(4) Unde Ennodius in consecratione Basilicae Apostolorum, quae idolorum templo superstructa est, ait : « Veni ergo, piissime Domine, et ad consecrationem operis tui plenus illabere vice humani ; per baptisma pectoris purgentur haec templa turpi hactenus dedicata patrocinio » (cfr. Gothofr. in Cod. Theodos., libr. XVI. Tit. II de pag. Leg. XXV; et Epiph. haeres XXX)

SS. Martyribus tribueretur, templa vero loca illa dicerentur ubi sacra persolverentur officia et divina recolerentur mysteria.

Temporis tamen progressione quam plura loca in Martyrum honorem, nec non pro divinorum commemoratione atque ad Deo litandum incruentum Eucharistiae sacrificium noviter sunt aedificata. In eorum autem elevanda mole ratio iam extantium Basilicarum, porticibus et ambulacris magnifice extructarum, vel templorum, aliquibus, pro rei necessitate, immutatis, habita est. Ideo, ut paucis omnia hucusque relata exhibeamus ad Basilicarum christianarum originem primaevam quod spectat, dicendum illas penes Christianos inde ab adepta libertate extitisse, cultui Martyribus tribuendo in exordio destinatas esse, atque taliter nuncupatas fuisse, quippe sive in aedibus regio patrimonio devictis aedificatas, sive in locis pro iure dicendo dicatis instauratas, sive tandem in horum similitudinem extructas.

3. *Evolutio Basilicarum christianarum.* — Verum successivis temporibus nomine « Ecclesiae » constabilito et universaliter recepto ad significanda loca sacra ubi indiscriminatim et cultus SS. Martyrum et sacra omnia persolverentur ; item quum in Basilicis deinde iidem perficerentur religionis ritus ac in Ecclesiis : factum est ut et templa communiter denominarentur Ecclesiae, et Basilicae aliquando cum Ecclesiis confunderentur. Quod quidem in iurisprudentia aliquando obtinuit ; quippe aliqui canonistae, innixi potissimum auctoritati canonis « non oportet », 4 dist. 42, et ibidem « in Ecclesiis seu Basilicis », Ecclesias a Basilicis haud distinguebant. At haec confusio, uti mox innuebatur, nec generaliter et nonnisi brevi tempore invaluit. Porro Basilicae, licet ratione cultus suam primaevam amisissent destinationem, ratione tamen structurae suum originalem et characteristicum conservarunt splendorem, quo scilicet ab Ecclesiis apprime distingui potuissent. In generali enim liturgica praxi, Ecclesiae a Basilicis adhuc distingui solebant sic, ut illae vocarentur quaecumque aedes sacrae pro divinis persolvendis officiis, hae vero appellarentur solummodo quae essent digniores, maiores et antiquiores (1), scilicet quae « per totum orbem magis essent insignes vel ob antiquitatem, vel ob magnitudinem aut celebritatem, quae ipsis inerat, quaeque per hoc ipsum maiori veneratione dignae haberentur » (2). *Viciniori tamen aevo*, hac speciali Basilicae denominatione, qua condecoratae erant Ecclesiae christianae vetustate pollentes et insigniores propter structurae magnificentiam et splendorem, plures Ecclesiae, quae recentiorem originem nactae erant sive Romae sive alibi, initio in priscarum similitudinem, deinde pluribus inductis quoad sty-

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS
O. F. M.
PROV. S. BARBARAE

(1) Schmalzgrueber, T. III, p. 4, t. XV; Barbosa, L. 2 iur. eccl. c. I n. 10; Fagnani, in can. « Ecclesiae » q. de Eccl. aedit. ; Wernz, Jus decret., III, 428.

(2) Votum consultoris « in una Lucerina » apud Coll. SS. RR.

lum modificationibus, extructae, a Pontificum liberalitate sunt donatae. Ex his, Basilicarum conceptus, licet aliquam quoad structuram et vetustatem passus sit mutationem, tamen quoad significationem intensiori ratione considerari coeperunt veluti aedes sacrae peculiariter propriae Romanorum Pontificum, et ideo regia dignitate praestantes. Exinde ne confusio oriretur inter Basilicas vetustate praecellentes, quae deinde maximis honoribus et privilegiis cumulatae fuere, atque eas quae recentiori aetate erectae sunt, omnino necesse fuit priores ab aliis videlicet Lateranensi seu SS. Salvatoris, Vaticana seu SS. Apostolorum Petri et Pauli, Ostiensi seu S. Pauli et Liberiana seu S. Mariae ad Praesepe, vocarentur *maiores* vel etiam patriarchales in memoriam quattuor Patriarchalium Cathedralium, uti Macrius et alii referunt ; reliquae vero, sive Romae sive in aliis mundi locis erectae, appellarentur *minores*. Et haec distinctio deinde, ad nostra usque tempora, retenta est in usu ecclesiastico sive canonico sive liturgico, exceptione facta quoad perinsignem Ecclesiam Franciscalem Assisii, erectam statim post Seraphici Patris Francisci mortem ut eiusdem corpus ibidem omni artis splendore ornatum obtineret sepulcrum, et quoad Ecclesiam S. Mariae Angelorum de Portiuncula, quae, quoad privilegia et dignitatem, ad gradum Basilicarum Maiorum et Patriarchalium respective a s. m. PP. Benedicti XIV et Pii X fuerunt evectae (1).

II. — De juribus seu privilegiis basilicarum minorum.

1. Jura Basilicarum minorum, nomine, plura esse videntur, re autem et facto, pauca omnino sunt. Sane plura videntur, si litteraria formula attendatur quam adhibet Pontifex in Apostolico erectionis documento. Formula enim quae ex solito in usu est apud Secretariam Brevium Pontificiorum hisce continetur : *Praesentium litterarum vi, Ecclesiam N. N. Basilicae Minoris titulo et dignitate, perpetuum in modum, augemus, illique omnia et singula conferimus iura, privilegia, praerogativas, honores, indulta, quae minoribus almae huius Urbis Nostrae Basilicis de iure competunt.* At si authentica horum verborum interpretatio prae oculis habeatur, iam statim apparet Basilicae minoris iura, praeter nominis splendorem, ad pauca privilegia reduci.

2. Haec autem privilegia distingui possunt ita, ut quaedam dicantur communia, et haec omnibus Basilicis minoribus vi memoratae formulae com-

(1) Basilica patriarchalis S. Francisi religiosis fratribus Minoribus Conventualibus, alia vero, seu S. Mariae de Portiuncula, Fratribus Minoribus est concredita.

petunt ; alia sint pariter communia vi consuetudinis ; alia tandem peculiaria, quae scilicet speciali ratione at apposito documento a Romanis Pontificibus consueverunt concedi aliquibus Basilicis. Sane :

A) *Communia, quae omnibus Basilicis minoribus competunt vi memoratae formulae, sunt :*

a) usus conopaei (italice « padiglione », vulgo « ombrellone »).

b) usus tintinnabuli, quod conopaeum praecedit in sua cuiusque Ecclesia, et in supplicationibus toti clero communibus ;

c) in vestibus choralibus (pro clericis saecularibus) usus cappae magnae, pellibus ermellinis ornatae in anteriori parte per hyemem, et cottae super rochetum, cum cappa deponitur per aestivum tempus.

Porro huiusmodi esse communia privilegia, quae omnibus Basilicis minoribus competunt vi apostolici documenti erectionis, constat ex S. Congregationis Rituum declaratione data et executioni tradita, in una Lucerina, sub die 27 augusti 1836 hisce verbis : *Juxta votum Magistri caeremoniarum... nimirum nomine privilegiorum, gratiarum, praeeminentiarum, exemptionum, indultorum caeterorumque similium, quae continentur in litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis favore alicuius Ecclesiae ad gradum Basilicae minoris elevatae, venire : conopaeum, omni tamen auri et argenti ornatu ab eo excluso, tintinnabulum et usum cappae magnae.*

B) *Communia vero, quae vi rationabilis consuetudinis* omnibus Basilicis minoribus competunt, reducuntur ad pontificii stemmatis erectionem in parte superiori frontis Ecclesiae et eiusdem stemmatis impressionem super documenta, quae ex officio a Basilicae Rectore exarantur. Jam ab antiquo tempore hic mos omnino rationabiliter introductus habetur ; quippe, licet, temporis progressione, modificatae sint causae ob quas Basilicae titulus pluribus consuevit Ecclesiis donari, tamen Basilicae nomen suam nativam significationem Regiae domus adhuc et magis retinuit, haud certo quia Ecclesiae, illa denominatione appellatae, in regiis vel imperatoriis palatiis erant exstructae, sed quia, propter earum splendorem atque magnificentiam, peculiaria fiebant invisibilis maiestatis Regis Saeculorum habitacula, atque adeo speciali ratione dignae evadebant domus visibilis Christi in terris Vicarii, qui vere Rex est atque imperatoriam supremam potestatem spiritualem possidet et exercet in universam Ecclesiam, quae est in toto mundo. Sicut proinde omnibus regiis domibus convenit, in sua externa fronte Regis stemma exhibere, et sicut earundem domorum officialibus congruit iisdem insignibus sua documenta condecorare, ita et Basilicis minoribus atque ipsarum Rectoribus idem ex congruentia, ideoque rationabiliter, tribuit consuetudo.

C) *Peculiaria tandem iura*, quae uni vel alteri ex Basicilis minoribus de speciali Pontificis concessione convenire possunt, reducuntur ad usum palmatoriae. Hic tamen usus nonnisi ob rationabiles et graviores rationes

concedere solet Pontifex, et cum limitatione ut palmatoria adhibeatur aliquibus in missis tantum solemnibus et aliquibus in missis tantum lectis, et infra Basilicae taxative fines, quemadmodum factum traditur cum Basilica S. Laurentii in Damaso et S. Mariae in Transtiberina regione.

Hisce paucis Basilicarum minorum privilegia sive iura comprehenduntur; reliqua vero quae ex praepostera verborum, quibus utitur Pontifex in apostolico documento erectionis, interpretatione sunt inducta, uti arbitraria atque adeo haud legitima haberi debent.

STATUS ATQUE DOMINIA UBI EPHEMERIS DIFFUSA EST

Intra Europae fines:

Anglia — Austria — Belgium — Bulgaria — Czechoslovacchia — Gallia — Georgia — Germania — Graecia — Helvetia — Hibernia — Hispania — Hollandia — Hungaria — Italia — Jugoslavia — Lettonia — Lithuania — Lucemburgum — Lusitania — Melita — Polonia — Romania — Turchia.

Intra fines Asiae:

India — Indocina gallica — Japonia — Mesopotamia — Philippinae insulae — Sinae — Tunquinum.

Intra fines Africae:

Aegyptus — Africa orientalis anglica — Algeria — Congum belgicum — Kenya — Rhodesia — Tanganika — Togo — Uganda — West Cape Province.

Territorii, ubi ephemeris diffusa est, puncta extrema.

Riga
(Lettonia – 57° long. N.

Sandwich insulae
(U. S. A. – 160 lat. W.)

ROMA

Manly in Australia
(151 lat E.)

Punta Arenas
ad fretum Magellani

Intra fines Americae:

Aequatoris respublica — Argentina — Brasilia — Canada — Chile — Columbia — Costarica — Mexicum — Status foederati Americae septentrionalis — Venezuela.

Intra fines Australiae:

...South Wa... Victoria

Intr

ALEXANDRIA (Eg... es
BARCELONA
BRUXELLES
BUDA-PEST

FRIBOURG (Suiss... z

LISBOA (Portuga... odz.

BUENOS AIRES ...i
MELBOURNE (Au... ı
MEXICO
MONTEVIDEO
NEW YORK ...10
PEKING (Chine)

...TIO

265.
3219
A496
D'Ambrosio, F.
De basilicarum minorum
DATE
ISSUED TO

Roma